

eruentum peccatum habens. Filiam autem habet talis mulier, malum opus, quod habet daemonium. Mala enim opera, daemonum sunt. Peccatores itaque quum simus, & canes nominamur immundicia pleni, & eapropter indigni sumus qui accipiamus panem dei, hoc est communicemus immaculatis mysterijs. Quod si per humilitatem nosmetipsos agnouerimus, & confessi fuerimus nos esse canes, enarrauerimusque peccata nostra: tunc sanabitur filia, hoc est opus diabolicum.

Et rursum egressus de finibus Tyri ac Sidonis, uenit ad mare Galilaeae per medios fines Decapolis: & adducunt ei surdum, impeditaque linguae, & deprecantur eum ut imponat illi manum: & quum apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso tetigit linguam eius, ac suspiciens in coelum, ingemuit, & ait illi: Ephatha, quod est aperire. Et statim aperta sunt eius aures, & solutum est uinculum linguae eius, ac loquebatur recte: ac praecepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis praeceperat, hoc amplius praedicabant, & supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui. Non moratur diu in Gentilium locis, sed statim transit, ne (sicut dicebam) daret occasionem Iudaeis dicendi, quod praeuaricaretur legem, Gentilibus se miscens. Decedens igitur a finibus Tyri ac Sidonis, uadit in Galilaeam. Porro surdum & impeditae linguae illum sanat. Erat autem morbus ille a daemone. Iam quod de turba seorsim apprehendit illum, factum ideo quod non erat arrogantiae sectator, qui se humiliaret usque ad nostram inopiam, & ut plurimum noluit coram multis miracula facere, nisi forte propter uidentium utilitatem. Quum uero exiisset, tetigit linguam illius: ut ostenderet omnes partes suae carnis sanctas ac diuinas esse, adeo ut & sputum solueret linguae uinculum, tametsi superfluitas sit omne sputum, sed in domino admirabilia erant ac diuina, omnia. Ut autem suspexit in coelum, ingemuit, fortassis & ut orans patrem, quo misericordia dignaretur hominem: & nos docens, quod quando facturi sumus miraculum, inde petendam miraculorum uirtutem. fortassis etiam misericordia erga humanam naturam tactus, quo pacto sic tradita esset diabolo, qui illi sic illuderet, & a quo tanta pateretur. Vnde & qui sanarat, a sanatis praedicatur, tametsi illos ipse interdiceret ac prohiberet, ne quid dicerent. Docemur item hoc loco, quod quando benefacturi sumus, non plausus uel celebritates ex beneficijs quaeramus.

CAPUT VII.



N diebus illis, quum turba admodum multa esset, nec haberet quod manducarent: accersitis ad se Iesus discipulis, ait illis: Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo apud me manent, nec habent quod edant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia. Quidam enim ex eis a longinquo uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi uero dixerunt, septem. Et praecepit turbae discumbere super terram. Et acceptis septem panibus, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut apponerent: & apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, & quum benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem & saturati sunt: ac sustulerunt quae superfuerant, fragmentorum septem sportas. Erant autem qui comederant ferme quater mille: & dimisit illos. Iam & ante tale quoddam miraculum fecit dominus, & nunc quoque iterum ipsum operatur, sumpta occasione iusta, nempe quod tres dies manserat turba, & absumpta erant omnium uiatia. Non semper enim miraculum in alimentis facit, ut ne putent quod propter cibos populus illum sequatur: & nunc nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, neutquam fecisset miraculum. Vide autem & discipulos, quam insipienter se habeant, non dum credentes uirtutes illius ex prioribus signis. Ipse autem non reprehendit: docens & nos, ne morosiores & austeriores erga idociles simus: sed sunt quae & illis oportet ignore, ut insipientibus. Considera autem & hoc, quod Christus nullum uult dimittere ieiunium: omnes enim uult delicijs suorum donorum alere, & maxime eos qui triduo apud se manent, hoc est baptizatos. Illuminatio enim dicitur baptisma, quia baptismus

autem in tribus mersionibus fit: ita & triduo manent qui per baptismum illuminantur. Accepit septem panes, spirituales inquam sermones. Numerus enim septenarius spiritualis sancti symbolum est, qui perficit omnia. Septenario enim numero perficitur uita hæc, & hoc seculum. Comedunt autem illuminati & saturantur, & reliquæ supersunt. Neque omnes sensus diuinos edere ualent. Verū sicut in illo quinq; panū miraculo, duodecim cophini sunt & plures reliquæ. Erāt enim quinq; millia, hoc est quinq; sensibus seruiebant: & propterea non potuerunt multa edere, sed paucis contenta fuerunt, ideo & plures sunt reliquæ. Ita hic septem sunt sportæ, & pauciora residua, eo quod quatuor fuerūt millia, hoc est quatuor uirtutibus exercitati: & propterea ut potentiores plura comederunt, & pauciora reliquerunt. Illa enim sola non potuerunt comedere, quæ fuerūt magis spiritualia, & profundiora: unde & per septē sportas designatur. Disce & hoc iuxta historiam, qđ debemus his qbus indigemus cōtēti esse, & nihil amplius quærere. Ecce em̃ turbæ quæ comederūt & saturatæ fuerūt, nō acceperūt secū reliquias panū, sed discipuli has gestarunt: sicigitur & nos usu nobis congruo esse contentos decet.

Et mox ingressus in nauim cum discipulis suis, uenit in partes Dalmanutha. Et egredi si sunt pharisæi, coeperuntq; disputare cum illo, quærentes ab eo signum e cœlo, tentantes eum. Et quum ingemisset spiritu suo, dicit: Cur generatio hæc signum quærit? Amen dico uobis, si dabitur generationi huic signum. Post signum hoc septem panū, statim secedit in alium locum: timens ne quo pacto turba tanto miraculo excitata, quid nouarum rerum moliretur, regemq; faceret. Pharisæi signum quærūt de cœlo, utpote quod solem sistat & lumen, flumina deducat, aërem immutet. Arbitrabatur enim eum non posse facere signum de cœlo, & in Beelzebul facere solum in terra signa. Ipse autē morem eis non gerit. Aliud enim tempus signorum de cœlo, nempe secundi aduentus tempus, quando uirtutes cœlorum commouebuntur, & luna non dabit splendorē suum. Primi autem aduentus tempus nihil tale habet, sed omnia māfuetudine plena sunt: & ita non dabitur generationi huic signum tale, hoc est de cœlo.

Et relictis illis ingressus rursus nauim, abiit traiecto lacu. Et obliti fuerant sumere panes, nec præter unum panem habebant secum in nauē. Ac præcepit illis, dicens: Videte, cauete à fermento pharisæorum, & à fermento Herodis. Et disputabant inter sese, dicētes: Panes non habemus. Et eo cognito Iesus, dicit illis: Quid disputatis, quod panes nō habetis? Nōdum animaduertitis nec intelligitis? adhuc obcæcatum habetis cor uestrū: oculos habentes, non cernitis: & aures habentes, non auditis: & non meministis? Quū quinq; panes fregissem in hominum quinq; millia, quot cophinos fragmētis plenos sustulistis? Dicunt ei, duodecim. Quum autem septem in quatuor millia, quot sportas ex reliquijs fragmentorum tulistis? Illi uero dixerunt, septem. Et dixit illis: Quī fit ut non intelligatis? Relinquit pharisæos dominus, ut incorrigibiles. Vbi enim spes est correctionis, ibi immorandum est: ubi autem illa defuerit, inde transeundum. Singulari autē dispensatione fit, ut discipuli obliuiscantur panum, quo meliores euadant obiurgati, & intelligant domini uirtutem. Nam quum dixisset, cauendum à fermento pharisæorum, hoc est doctrina, illi eum putabant de panum fermento loquutum. Vnde meritō perstringuntur tanquā stupidi, & non intelligentes uirtutem Christi, qui possit ex nihilo facere panes. Fermentum ideo nominat doctrinam pharisæorum & Herodianorum: quia amara est, malitiæq; ueteris plena. Quicumq; enim malitia inueteratus est, & nihil spirituale potest dicere, quod auditoris faucibus sit dulce: ille fermentum habet ac mordacē ueteris malitiæ doctrinā, quæ illi obediētem, ad pœnitūdinem tādē ducat. Herodiani autē erant doctores quidam nuper orti dicētes, Herodē esse Christū, & illi esse credēdū.

Et uenit Bethsaidam, & adducunt illi cæcum, & obsecrāt eum, ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit illum extra uicū: & quum expuisset in oculos illius, imposuissetq; illi manus, interrogauit eum, si quid uideret: & recepto uisu, dicebat: Video homines, quoniam uelut arbores cerno ambulantes. Deinde rursus imposuit manus super oculos illius, & fecit ut uisum reciperet, & restitutus est, ac denuō uidebat dilucide omnes; & dimisit illum in domum suam, dicens: Neq; in uicū ingrediaris, neq; di-

xeris cuiquam in uico.] Apparet Bethsaidam incredulitate multa laborasse: ideo & miseram eam dicit Christus, sicut Matthaeus inquit: Vae tibi Chorozaïn, uae tibi Bethsaidam, quia si in Tyro & Sidone factae fuissent uirtutes, quae factae sunt in uobis, pridē respiciissent. Hic igitur, quum uenisset Iesus, adducunt ad eum caecū ex pago. Non erat autem pura adducentium fides, unde & dominus educit caecum ē pago, & sic sanat illum. Expuit uero in oculos caeci, & manus imponit: ut discamus nos, quod sermo diuinus efficax sit. Manus enim, operationis symbolum est, sputum autē sermonis, eo quod sit ex ore. Et quia neq; caecus ille perfectam habuit fidem, idcirco non statim ipsum respice refacit, sed sensim, utpote integra carentem fide. Iuxta fidei enim magnitudinem, & sanitas datur. Prohibet autem ne ingrediatur in pagum suum, eo quod (sicut dixi) increduli erant homines, & animae eius nocuissent. Sed neq; Christus hoc de se dici uult, ut ne in incredulitate sua perseuerantes illi, in grauius inciderēt iudiciū. Et nos quandiu in hoc pago, id est mundo agimus, anima sumus caeci: educi autem ē mundo & secularibus negotiis, à Christo sanamur. Postquam autem sanati fuerimus, dicit nobis, ne ultra reuertamur in pagum, sed in domum. Domus autem uniuscuiusq; coelū, & mansiones quae illic sunt.

Et egrediens Iesus & discipuli illius in uicos Caesariae, quae cognominatur Philippi, & in uia interrogauit discipulos suos, dicens: Quem me dicunt homines esse? Illi uero responderunt, Ioannem Baptistam: & alij, Eliam: alij rursus unum de numero prophetarum. Et ipse dicit illis: At uos quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus, dicit illi: Tu es ille Christus. Et interminatus est eis, ne cui dicerent de se. Quum abduxisset eos procul à Iudaeis, interrogat de se, ut nullum timentes ueritatem faterētur. Respondent igitur, alij quidē Ioannem Baptistam te suspicantur, alij uero Eliam. Multi enim Ioannem resurrexisse credebant, sicut & Herodes opinatus est, quod propter resurrectionem accessisset ei uirtus illa qua miracula faciebat. Ioannes enim quum uiueret non faciebat miracula. Vbi igitur interrogauit eos de aliorū opinionibus, rogat ex eis & suam ipsorum sententiam. quasi diceret, Illi errantes sic de me sentiunt: uos autem aliud quiddam dicite. Quid igitur Petrus? Confitetur eum esse illum, qui à prophetis praedictus est. Quid autem ad confessionē Petri dixerit dominus, & quomodo beatificauit illum, Marcus quidem praetermisit, ne uideretur ad gratiam Petri praceptoris sui haec dixisse: Matthaeus autem non omisit. Interminatus est autem illis, ut nulli de se dicant. Volebat enim adumbrari gloriam suam, ne postea multi in se scandalizarentur, & propterea ob incredulitatem suam maioris supplicij fierent obnoxij.

Et coepit docere eos, quod oporteret filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, summisq; sacerdotibus ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere: & aperte sermonem loquebatur. Et apprehēdit illum Petrus, coepitq; increpare eum. At ille conuersus, & intuitus discipulos suos, increpauit Petrum, dicens: Abi post me satana, quoniam non sapis quae dei sunt, sed quae sunt hominum. Quando deprehendit eos confessos se esse Christū, tūc tandē & crucis sacramentū eis manifestat, tametsi non omnino nude: neq; enim sic quid diceret intellexissent, neq; intelligebant quid esset resurgere. Vnde putabant melius esse omnino nō pati. Vnde & Petrus incepit eū increpare, quod temere in mortem se offerret: potuisset enim non pati. At dominus monstrans ad salutem, suam passionem pertinere, & solum satanā eum nolle pati, ne saluentur homines, Satanam nominat Petrum, tanquam idem cum satana sentientem, nolentemq; se pati, sed magis se opponentem. Satanas enim idem est quod aduersarius. Vade autem post me, inquit, hoc est sequere uoluntatem meam, & non oblueteris, neq; ex aduerso mihi stes, sed post me sequaris. Humana dicebat sapere Petrum, eo quod humilia quaedam & carnalia sapiebat, uolens mollius agere & non crucifigi, nec in tentationes incidere dominum propter mundi salutem.

Et quum ad se uocasset turbam unā cum discipulis suis, dixit illis: Quicumq; uult sequi me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. Nam quisquis uoluerit animam suam seruare, perdet eam. Quisquis autem perdiderit animam suā causa

mea & Euangelij, hic seruabit eam. Quid enim profuerit homini, si lucratus fuerit mundum totum, & animæ suæ iacturam fecerit? Aut quid daturus est homo, quo repenset animam suam? Quandoquidem Petrus increpat eum uolentem crucifigi, aduocat turbam, & audientibus omnibus Petrum acius alloquitur: Tu me (inquit) reprehendis Petre, quod crucem tollo? ego autem tibi dico, quod neque tu, neque aliquis saluabitur, nisi moriatur pro bono & ueritate. Cæterum uide quod non dixit, etiam si non uelit quis, moriatur: sed quicumque uult. Nullum enim cogo. Ad bona uoco, non ad mala, ut & compellam: & ita si quis non uult, non est his dignus. Quid sit autem abnegare semetipsum, discemus, si didicerimus quid sit abnegare alium. Qui enim abnegat alium, fratrem fortassis, uel familiarem, uel patrem, etiā si flagellari illum uiderit & occidi, nō aduertit, nō dolet, non cōpatitur semel ab eo alienatus: sic quoque & nos uult corpus nostrum despicere, ut siue flagella, siue aliud quid patiatur, ne illi parcamus. Tollerat autem crucem suam, hoc est ignominiosam mortem. Ignominiosa enim tunc uidebatur. Præterea quia multi in crucem agebantur latrones, addit quod cum crucifixione & omnem aliam uirtutem habeat: hoc enim est & sequatur me. At quoniam graue hoc esse uidebatur & crudele, quod imperarat nobis ut exponamus nos morti, dicit quod hoc multo plus habet misericordiæ. Nam quisquis perdiderit animam suam propter me, non tanquam latro qui occidit, uel tanquam is qui suspendit (hoc enim non est propter me) talis inueniet animam suam: sicut contra si quis uideatur lucrari, perdet eam, si in tempore martyrij non restiterit. Ne mihi dixeris, quod lucratus sit uitam: nam quum postea deponenda sit, etiam si totum mundum fuerit lucratus, nulla erit utilitas: neque enim diuitijs salus repensari potest. Etenim siquid hoc esset, quod is qui lucratur totum mundum, animam autem perdit. Dedit enim & is qui in flamma cruciabat, & innocens fuisset. At non est tunc talis quædam illic commutatio. Prorinde & hoc loco confutabimus Origenistas dicentes, quod futura sit quædam animarum reparatio, postquam punitæ fuerint iuxta peccatorum suorum rationem. Audimus enim, quod illic non repensetur quippiam pro anima. Prorinde non tanta res puniri, quanta pro peccato repēdenda est.

Quemcunque enim puduerit mei ac meorum sermonum in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, ubi uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

CAPITULUM IX.

Matth. 16.
Luc. 9.

ET dicebat illis: Amen dico uobis, sunt quidam inter eos qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec uiderint regnum dei uenisse cum uirtute. Non sufficit mentalis fides, sed & oris confessio exigitur. Nam quia duplex est homo, duplex fiat & sanctificatio. Sanctificatur quidem anima per fidem, corpus autem per confessionem. Quæ igitur puduerit crucifixum confiteri deum suum, illius & ipsum pudebit. Indignum illi seruū iudicabit quum uenerit: non tunc humilis, neque sicut hic apparebat contemptus, ita ut quem eius tunc pudere debeat: sed in gloria, & cum comitatu angelorum. Quia autem de gloria sua dicebat, uolens eis declarare quod non hoc per arrogantiam loquatur, dicit: Quod sunt quidam ex hic stantibus, nempe Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui nō morientur donec ostendero eis in transfiguratione, quanta cum gloria uenturus sim: nā sicut ipse tunc fulgebat, ita & sancti eius.

Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, ac Ioannem, & subducit eos in montem excelsum seorsim solos, & transformatus fuit coram illis, & uestimenta illius facta sunt splendida, & candida ualde uelut nix, quam candida facere non potest fullo super terram. Lucas autem post octo dies dicit, non dissidens à Marco, sed planè consonans. Ille enim & diem quo loquutus erat, & diem quo ascendit, dixit: Marcus autem intermedium quidam, tanquam eum qui confessus erat, & diligebat: Ioannem, ut eum qui diligebatur: & Iacobum, ut & ipsum theologum uocalissimum. Ita enim onerosus erat Iudæis, ut &